

Bx 1751

B7

1878

c. 1



FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ



Capilla Alfonso X

(V. LITTERAS in capite Tractatus de Verâ Religione insertas.)

PRÆFATIO

Ab iis præsertim perlustranda qui jam aliquem legerint de Ecclesiâ Christi Tractatum.

Omnis Tractatus de Ecclesiâ Christi consistit in demonstrandis successivè ac evolvendis duobus istis effatis quæ, S. Irenæo et S. Ambrosio auctoribus, nos in epigraphio posuimus : *Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei : Ubi Petrus, ibi Ecclesia.* — E quibus utpote ab omni antiquitate præmissis tertium hoc rectâ inferre erat : *Ergo ubi Petrus, ibi Spiritus Dei.* Et hæc est reverâ conclusio quam novissimè S. S. œcumenicum Concilium Vaticanum sanxit, et jamdudùm de fide divinâ habitam à theologis quibusque rectè ratiocinantibus, nunc de fide catholicâ habendam omnibus præcepit. Gratias sanè sacro sancto Cœtui, atque imprimis Beatissimo Patri ac Pontifici maximo Pio IX, qui sic, audenter dicam, logicam Catholicismi evolutionem perfecere, et Ecclesiam exhibuere non immotam ac senescentem, sed *crescentem* semper, « in eodem dogmate, eodem sensu eademque sententiâ, » per indesinentem fidei non permutationem sed verè *perfectum* (1). Et quidem, ut sæpe dixi, et nunc iterùm dico, nunquam majori perfusum gaudio aut lætiori animo gratias Deo retuli, quàm quàm illâ eandem doctrinam (nostis, dilectissimi alumni, jam nunc per varias dioceses dispersi) quam pro exiguitate nostrâ docueramus, defenderamus ac dudùm prædixeramus maturam esse in definitionem, definitam reapse vidimus, piis undequaque, vel inter hæsternos adversarios, plaudentibus. Quæ dum animi sensa simpliciter promimus, certè non patribus ac decessoribus nostris insultare præsumimus, viris qui pro Ecclesiâ et Sanctâ Sede suas cervices supposuerunt, et quorum dum mentis errores Deo opitulante vitamus, non meliores sanè sed feliciorum

(1) S. Vincent. Lirin. *Commonitorium*, c. XXIII.

008380

res, catholicum libenter æmulamur animum. Imò potiùs, liceat dicere, ad Majores reapse ac prædecessores nostros in hoc remeamus, ad Olerium nempe (1) et illos ejus socios ac filios qui, in primis tunc temporis contra. S. Sedis prærogativas aggressionibus, fideles steterunt et invicti (2). Illum præcipuè ducem sequi lætamur, hujusce Seminarii immortale decus, Fenelonium, qui, quum hi qui videbantur columnæ esse, jam cederent, ipse non cessit, sed S. Sedis prærogativas stylo assuerit et, quod potius est, exemplo (3).

Et, his quidem primùm ex animo profusis, jam, sicut in *Tractatu de Verâ Religione*, quædam præmittere juvat tum de historiâ Tractatûs de Ecclesiâ, tum de ratione novi hujusce tractatûs.

I

HISTORIA TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI.

Tractatus de Ecclesiâ, etsi in scholis vix ante sæculum XVIII^{um} suum obtinuerit locum, jam quasi per partes inchoatus fuerat à tempore Patrum, nempe in ipsorum Tractatibus contra schismata et hæreses illius temporis, rursûs autem et multò magis funditûs à sæculo XVI^o in controversiis cum Protestantibus.

1. — Cujus ut intelligatur ratio evolutionis, observandum est primùm, apud Christianos, per plura sæcula, quæstionem non fuisse: *An esset Ecclesia?* an existeret societas auctoritatem à Christo habens ad docendum regendumque homines? verùm: *Ubinam esset Ecclesia?*... (4). Hanc enim cum suâ auctoritate quisque apud se existere contendebat: quod dijudicandum erat è *notis* seu characteribus externis ex internâ ipsius *constitutione* fluentibus. Ideòque hæc fuit tunc principalis ac ferè unica quæstio.

Ita jam videre est apud Patres. Qui nempe generatim existentiam

(1) V. *Vie de M. Olier*, 4^e édit., t. III, p. 23.

(2) V. ap. D. Gérin: *Recherches historiques sur l'assemblée de 1682*, pp. 26, 29, 378, 387, etc., etc.

(3) V. infra, p. 377, in *Appendice VI*, excerpta è dissertatione Fenelonii: *De S. Pontificis auctoritate*.

(4) Sic S. Augustinus, circa Donatistas: « Quæstio certè inter nos versatur: Ubi sit Ecclesia; utrùm apud nos, an apud illos?... » *Epist. ad Catholicos* seu *lib. de Unitate Eccl.*, n. 2.

Ecclesiæ à Christo institutæ aut auctoritatem illius supremam et infallibilem non tam *ex professo* probare intendunt quàm ubique manifestè supponunt, utpote necdùm in dubio positam (V. testimonia infra cit. p. 58 et ss.). Verùm toti sunt ut varia ejus constitutionis puncta, utpote ab hæreticis negata, in lucem ponant et notas inde desumant quibus ostendant non hic aut illic sed apud se unicè esse solem veram Christi Ecclesiam. Unde qui illorum tractatus varios ac particulares colligeret, ex his Tractatum quemdam generalem de constitutione ac notis Ecclesiæ facillè efformaret. — Sic **S. Ignatius martyr** describit præsertim constitutionem hierarchicam uniuscujusque ecclesiæ particularis (V. infra p. 189). **S. Irenæus** centrum cui omnes conveniant et indeficientem Traditionis apostolicæ fontem in Ecclesiâ Romanâ ostendit (infra, p. 118). — Hinc **S. Cyprianus** repetit illam quam ubique inculcat, episcopatus totius nec non universalis Ecclesiæ unitatem (p. 119, 216); — et **S. Optatus** hujus ipsius cathedræ apostolicæ principalis possessionem indigitat veluti primam et sufficientem veræ Ecclesiæ notam (p. 121). — Cui, ad abundantiam juris, **S. Augustinus** præsertim adjungit præminentiam extensionis seu Catholicitatem (p. 269), nec non et Sanctitatem (*De moribus Ecclesiæ*). — En igitur totam Ecclesiæ constitutionem, cum notis inde fluentibus, à Patribus descriptam. Cujus insuper Ecclesiæ perpetuitatem, infallibilitatem, supremam auctoritatem passim ut supra dictum est asserunt (1); itidemque demùm legem evolutionis ac progressûs in eâ assignat **S. Vincentius Lirinensis** (infra, p. 241).

In Medio-Ævo, constitutio Ecclesiæ primùm manifestatur in factis, per pontificiæ nempe potestatis exercitium et evolutionem, magis quàm theoreticè et ex professo explicatur in tractatibus. Quædam tamen prodire non cunctantur opera tum *circa schisma Græcorum* (2), tum

(1) Hic autem præ oculis habenda est observatio infra, pp. 61 et 63, subjungenda. Cui non satis attendisse videtur doctissimus cæteroquin auctor *Præfationis* ad *Tr. de Ecclesiâ* de la Hogue, dum *Præscriptiones* Tertulliani *adversus hæreticos* haberi vult pro fundamento totius de Ecclesiâ Tractatûs.

(2) De scriptoribus Græcis Ecclesiæ romanæ faventibus, itemque de scriptoribus Latinis sive Catholicis sive Protestantibus qui circa Græcos scripserunt, longam notitiam reperire est apud Fabricium: *Bibliotheca græca*, t. X, c. XLIII, p. 340-453. Præcipuos autem recenset P. Perrone: *Synopsis hist. theol.*, n. 57.

etiam circa sacerdotii et imperii dissensiones (1). Vergentibus autem sæculis XIV^o et XV^o, divina Ecclesiæ constitutio jam ex professo tractanda fuit. Tunc enim re, si nondum nomine, prodire incipiebat, sub variis suis formis, error ille multiplex qui postea dicitur *Gallicanismus*. Ex unâ nempe parte, principes ut sese efficacius eximerent à supremâ Pontificum romanorum censurâ (V. infra p. 237 et ss.), jam non independentiam modò sed etiam superioritatem quamdam saltem indirectam auctoritatis civilis supra auctoritatem ecclesiasticam affectarunt; et inde Gallicanismus *regalista* (p. 83). — Item, ex alterâ parte, quùm, in magno Occidentis Schismate, Ecclesia in necessitatem venisset sibimet ipsi consulendi (V. infra *Append. XIV*), multi inde Ecclesiam ad instar Statûs civilis sibi temerè fingentes auctoritatem asseruerunt in eâ ab Inferioribus ad Superiores communicari et ab illis supra Superiores quantumlibet legitimos ac certos exerceri posse; atque inde Gallicanismus ecclesiasticus non modò *episcopalista* sed et penè *multitudinista*, quemadmodum perspicere est apud nonnullos ex illo tempore Doctores (V. p. 83, 193 et *Append. IV*). — Contra varios istos excessus, non pauci doctores orthodoxi et S. Sedi addictissimi plures opposuêre Tractatus seu *Summas* de potestate ecclesiasticâ speciales. Sic, in XIV^o sæc., **Augustinus Triumphus** et **Alvares Pelagius**, qui non modò potestati ecclesiasticæ independentiam vindicant sed et, juxta mentem temporis, suprematiam etiam *directam* in potestatem civilem (V. infra p. 261 *not.* 2) (2). Sic, in XV^o sæc., **S. Antoninus**; — sic et præsertim Card. **J. à Turrecrematâ**, qui Wicleffum jam habuit impugnandum; etc. (3).

(1) Quædam reperire est apud Rocaberti in *Biblioth. pontificiâ max.*, infra indic. Plurima autem præsertim hujus temporis doctrinalia documenta exstant ap. Baronium in suis *Annalibus ecclesiasticis*.

(2) Augustinus Triumphus, Anconitanus (1243-1328): *Summa de Potestate ecclesiasticâ*, Joanni Papæ XX dicata, et divisa in CXII quæstionibus quæ ad Papam præcipuè referuntur. — Alvares Pelagius: *De planctu Ecclesiæ* pro Joanne XXII contra Ludovicum Baviensem, in II Libris, cujus V. 1^{um} ap. Rocaberti t. II. — Utriusque quædam excerpta reperias ap. Bérault-Bercastel; *Hist. de l'Egl.*, édit. Henrion, t. V, p. 518 et ss.

(3) S. Antonini archiep. Florent., def. a. 1459, *Summa theologiæ moralis*, etc., cujus 3^o Partis tit. XXII: *De statu S. Pontificis* et tit. XXIII: *De Conciliis universalibus* (circa genuinum hujus auctoris sensum ac textum V. *Civiltà catholica*, 1868, t. IV). — Joann. à Turrecrematâ (Torque-

Huc usque forma societatis ecclesiasticæ in eo saltem quod præcipuum est, ab omnibus generatim citra controversiam retinebatur. Nec enim à quoquam negata erat necessitas Auctoritatis ejusdam supremæ in Ecclesiâ, imò et necessitas Papæ et Episcoporum ad eam exercendam. At multò altiùs negatio sese efferre incipiebat, et defensionem in novum ac majus vocabat stadium. Jam enim, post Albigenes, Valdenses (1) et varios Pseudo-Mysticos in Medio Ævo cito compressos, Wicleffus et J. Hus (2), quos mox secutus est Lutherus et omnis discors Protestantium chorus (de quibus V. *Appendicem I*, p., 350), Papatum respuere cœperunt tanquam inventum humanum, imò et diabolicum, item et plerique saltem, Episcopatum; item et ferè omnem divinam in Ecclesiâ Auctoritatem (V. infra p. 12, *not.*). Unde, licèt Ecclesiæ nomen servarent, rem prorsùs annihilabant (V. p. 16); nec jam tantùm quæstio erat de *modo* quo Christus societatem Christianorum constituerit et auctoritatem aliquam apud ipsos disposuerit, sed imprimis *an* illos reverà Ipse in societatem constituerit auctoritatem aliquam apud ipsos instituendo. Duplex igitur exinde in Tractatu de Ecclesiâ quæstio: una quæ primâ fronte eminent, et in quâ de auctoritate proindeque de ipsâ existentia Ecclesiæ agetur contra hostes exteriores, nimirum Protestantes; — altera quæ, in secundum jam relegata locum, quasi ad intrâ manere videtur, et, contra Gallicanos ac Jansenianos, auctoritatis illius constitutionem et exercitium vindicare non desistet usquedùm per Concilium Vaticanum victoria definitiva reportetur.

mada, cum altero Thom. de Torquemada, inquisitore gen. Hispaniæ, non confundendus; — V. Rohrbacher l. LXXXIII), def. a. 1459: *Summa ecclesiastica*, in IV libris; cum parvo *Tractatu 73 quæstionum super potestate et auctor. Papæ, ex sententiâ S. Thomæ*.

Dolendum profectò quod Mediæ Ætatis Auctores non sicut ratiocinio ita et criticâ polluerint. Hinc enim in eorum operibus non pauca irrepsêre testimonia è Falsis Decretalibus et aliis fontibus spuris deprompta quæ theologi cavere debent. De his V. *Appendicem V*, p. 375.

(1) Contra hos et illos opus exstat **P. Monetæ**, Cremonensis, O. P., def. a. 1240: *Adversùs Catharos et Valdenses libri V*, ed. Romæ 1743, ubi liber V^{us} est de *Ecclesiâ*.

(2) Contra Wicleffum scripsit speciatim **Thomas Waldensis** (Thomas Netter à Walden), Anglus ord. Carmel.: *Doctrinale antiquitatum fidei catholicæ Ecclesiæ*, 3 vol. in fol., cujus, in t. I, Lib. II est de Ecclesiâ, incipiendo à Papâ.

II. — Contra Protestantes primùm, varia puncta quæ ad ipsam societatis ecclesiasticæ existentiam attinent, à plurimis theologis per modum controversiæ tractata fuere unà cum aliis dogmatibus ab hæresi negatis (1). Horum Controversiarum princeps nitiditate æquè ac soliditate (2) facillè eminet Card. **Bellarminus**, S. J., qui, in duobus primis suarum *Controversiarum generalium* tomis, ita totam de Ecclesiâ absolvit materiam: primùm, nempe, postquam *de verbo Dei scripto* tractavit, *Ecclesiæ* statim, quatenus verbi illius interpretis et controversiarum iudicis, necessitatem simul et auctoritatem stabilit, et traditionem vindicat. Deinde, postquam etiam *de Christo, Capite totius Ecclesiæ*, disseruit, transit ad *S. Pontificem, caput militantis Ecclesiæ*, atque inde ad *Concilia* et ad totam illam *Ecclesiam* generatim sumptam, cujus demùm notas assignat numero quindecim, ad

(1) Inter Controversistas illius temporis, — præter Bellarminum, de quo sequitur, et ejus sequacem, licet æstimatu paulò inferiorem, **Gretserum**, qui scripsit *Defensionem Bellarmini*, 2 vol. in fol., — de Ecclesiâ specialius tractaverunt **Stapleton**, Anglus, soli forsân Bellarmino secundus: *De principiis fidei doctrinalibus*, cum eorundem *Relectione compendiarè* strictiori ordine digestâ; item *Auctoritatis ecclesiasticæ defensio, contra Wtakerum*, cum *Triplicatione* adversus ejusdem Wtakeri *Duplicationem*; — quæ omnia primo ac prægrandi Operum ejus volumine continentur; — **Melchior Canus**, Hispanus, qui cæteris stylo præeminet et à formâ scholasticâ magis recedit: *De locis theologicis* (ap. Migne, *Theol.* t. I); — **Fratres a Walenburch**, Batavi (Adrianus et Petrus): *Tractatus generales de Controversiis fidei* (ibid.); — **Albertus Pighius**, Belga, (qui alicujus erga Romanas prærogativas exaggerationis sæpe incusatur (Cfr autem infra, p. 160, not.): *Hierarchiæ ecclesiasticæ assertio* in VI Libris; — **Martinus Becanus**: *Opuscula theologica*, quorum plura versantur circa Ecclesiam; — **Lindanus**, item; — etc., etc.

Nec sanè prætereundi sunt qui formâ breviori vel etiam aliquatenus populari, pro tempore, demonstrationem christiano-catholicam concludere nisi sunt contra grassantes hæreses. Ita **Lessius**: *Quæ fides et religio sit capessenda* (ap. Migne *Theol.* t. III); — **Greg. de Valentia**: *Analysis fidei catholicæ* in cap. volum. *De rebus fidei hoc tempore controversis*, 1591, vel ap. Rocaberti, t. XIII; — **Lud. Blosius**, asceticus ut plerùmque auctor, sed cujus operum in fine videre est *Collyrium hæreticorum*, cum *Epistolâ ad nobilem matronam per hæreticos seductam*.

(2) Si pauca excipias testimonia per criticam tunc temporis nondum satis explorata.

quatuor cæteroquin Symboli C. P., ut ipse fatetur, facillè revocabiles. — Et illas reapse quatuor notas, *unitatem* scilicet et *sanctitatem*, maximè autem *catholicitatem* et *apostolicitatem* evolvere exinde et applicare solent Controversistæ sequentes, sed vario tamen ordine, atque iis semper, necessarii instar fundamenti, præmittendo vel saltem interserendo auctoritatis et infallibilitatis Ecclesiæ demonstrationem. Ita speciatim procedere videris tum **Suarezium** et **Duperron**, in doctissimis suis ad Jacobum I^{um} responsionibus, tum **S. Franciscum Salesium**, Card. **de Richelieu**, etc., etc. (1).

In secundâ dein sæc. XVII parte, controversia magis ac magis in quæstionem de Ecclesiâ se contulit, invitis valde Protestantibus (2); imò et hæc quæstio separatim et sæpe etiam unicè tractari cœpit in operibus formæ simplicioris atque, ut ita dicam, humanioris. — Atque hic æquum est agnoscere novum Ecclesiæ subsidium accessisse

(1) Suarez: *Defensio fidei catholicæ adversus Anglicanæ sectæ errores*. — Du Perron: *Réplique au Roy de la Grand' Bretagne*. — S. François de Sales: *Controverses*. — Richelieu: *Traité... pour convertir ceux qui se sont séparés de l'Eglise* (quod differt ab alio ejusdem opere: *Les points de la foi cathol. défendus...*, insertum ap. Migne, *Dém. Evang.* t. III).

Multò minorem utilitatem in *Tr. de Ecclesiâ* referre est è Controversistis istis qui, eodem tempore, publicis contra hæreticos disputationibus unicè incumbebant etiam cum magno sæpe applausu et successu. Ii quippe, toti in victoriam è momento referendam, argumentis *ad hominem* ut plerùmque utuntur. Sic, inter cæteros, **Franc. Veron**, cujus exstat volumen in folio: *Méthodes de traiter des controverses de Religion...* Hujus cæteroquin methodi compendiarum expositionem videre est etiam, è mss. D. Dufferrier, ap. *Vie de M. Olier*, l. II, not. Quum nempe Protestantes tunc temporis sese sæpe jactarent quasi omnes suas sive assertiones, sive etiam negationes, è testimoniis Scripturarum *positivis* et *expressis*, absque ullo æquivalenti vel ratioecinio, demonstraturos, ille eos ad promissum unicè provocabat, et, totum in expectativâ se continens, nequaquam extra propositum evagari sinebat; unde mox ipsos adducebat ad impotentiam confessionem aut evidentiâ manifestissimam. Hanc ideo methodum vocabat ipse « la foudroyante » et « le baillon des ministres » (*Méthodes...* p. 31, 36). Patet tamen illam non sufficere contra eos qui talia spondere non præsumpsissent, sed omnibus uti voluissent æquæ argumentationis mediis ac juribus.

(2) Jurieu: *Le vrai système de l'Eglise*, préface.

ex ipsis Jansenianis tunc aliquatenus dissimulatis qui incolebant *Port-Royal*. Ii enim, *pace*, ut aiunt, *Clementinâ* tum perdurante (1669-1702), illas quibus reapse valebant, ingenii dotes ad defensionem Ecclesiæ contra Protestantas utiliter contulerunt. Et, dum ex illis eruditiores dogmata ac præcipuè Eucharistiam per argumenta Præscriptionis et Discussionis comprobarent in celebri opere : *La perpétuité de la foi* (V. infra, p. 41, not. 1), **Nicole** Ecclesiam ipsam speciatim defendit in tribus præsertim egregiis operibus : *Préjugés légitimes contre les Calvinistes* (1671), è defectu potissimum missionis et sanctitatis apud eos, et ex necessitate Auctoritatis; — *Les prétendus Réformés convaincus de schisme* (1684), ad confirmandas *Considerationes* quas Clerus gallicanus direxerat ad Pseudo-Reformatos (1); in hoc opere (quod præcipuum nobis videtur) auctor ostendit imprimis necessitatem Auctoritatis infallibilis, ac dehinc veram Ecclesiæ naturam et notas, quarum defectu Pseudo-Reformati schismatis convincuntur; — addidit postea *Traité de l'Unité de l'Église* (1687), ad confutandum novum effugium à Jurisæo repertum, de quo infra. — Plures alii scriptores, ex omni scholâ, in defensionem Ecclesiæ tunc simul scripsere. Sic notatim **Fenelon** : *Traité du ministère des Pasteurs*, ubi dilucidè ostendit necessitatem *missionis* et *ordinationis*, quarum neutram à *multitudine* Ministri Protestantium recipere potuerunt (2). — Sic et **Thomassinus** : *Traité de l'Unité de l'Église*, ubi illos arguit è defectu *Catholicitatis*, quam è totâ Traditione eruditè probat Ecclesiæ necessariam. — Etc., etc. — Inter hos omnes verò, polemistæ dotibus eminet **Bossuet**, quem incredulus Gibbon, vim illius expertus, vocat « le grand maître de l'artillerie controversiste » (3). Fatendum est tamen quædam in ejus controversiis

(1) His Considerationibus accedebant (ut videre est ap. *Procès-verbaux du clergé* t. V, p. 273) *XVI Méthodes... pour la conversion de ceux qui font profession de la Religion prétendue Réformée*; sed quæ non omnes hodieum æquè valerent.

(2) Hic connotandæ sunt quædam ejusdem Epistolæ, pro ipsius more, admodum intimè veræ ac persuasivæ. Sic imprimis *Lettre V^e sur la Religion*, 3^e P., cui adjungi possunt *Lettres sur l'autorité de l'Église*, potissimum exhortatoriæ.

(3) *Mémoires...*, cit. ap. card. de Bausset : *Hist. de Bossuet*, l. VII, *Pièces justificatives*. — Præcipuorum Bossuetii contra Protestantas operum chronologia hæc est : *Réfutation du min. Ferry*, 1654; — *Expo-*

reperiri quæ *ad hominem* præsertim valent aut locum dare possent retorsionibus, quas ille, in urgendum adversarium totus, solvere postea differt (1). Imò, præcipuum et maximè elaboratum ex illis in hæc controversiâ operibus : *Histoire des Variations des églises Protestantes*, contra systemata quidem Protestantium tunc plerumque vigentia admodum valebat; sed futurum erat ut totum ferè eluderetur per systema quod jampridem à quibusdam inventum (ipsissimum enim Protestantismi fundus est, cfr infra pp. 42 et 42). Jurisæus tunc innovavit, sub nomine *Articulorum fundamentalium* (V. infra, p. 293 et ss.). Huic autem Bossuet verissimè prædixit totum inde Protestantismum non in Tolerantismum ecclesiasticum modò sed et in Indifferentismum descensurum esse (2). Demùm, in duobus ultimis suis controversiæ operibus : *Instructions pastorales sur les promesses faites à l'Église*, Bossuet jam non polemistæ tantum sed et theologi

sition, 1671; — *Conférence avec Claude*, 1678, publiée en 1682; — *Hist. des Variations*, 1688; — *Avertissements*, 1689-1691; — 1^{re} *Instruction sur les promesses*, 1700; 2^{de}, 1701.

(1) Ita præsertim in celebri *Conferentiâ* cum min. Claudio, de quâ V. infra, p. 436, *Appendicem XVIII*.

(2) Idem in præcipitium **Papin** et **Pellisson**, è Protestantismo ad veritatem catholicam conversi, fratres obstinatos cogere voluerunt, et quidem non *moralis propensione* tantum sed *conclusionem directè logicâ* (V. p. 36 in *notâ*): unde in *fideismum* non incidere non potuerunt, ideoque à recentioribus scholæ Menesianæ scriptoribus effusè laudati sunt. (Papin : *Les deux voies opposées en matière de Religion : l'examen particulier et l'autorité*; ou la *Tolérance des Protestants*; — Pellisson : *Réflexions sur les différends de la Religion*, reprod. ap. Migne *Dém. Evang.* t. III : — quibus cfr DD. Gerbet : *Coup d'œil sur la Controverse chrétienne*, 1831, p. 117 et ss., quem incautè et inadvertenter, saltem quoad Papin, sequitur et transcribit D. H. J. : *Introduction à la Theol.*, extr. ex *Encyclopédie catholique*). Papin nempe qui totus est ut Protestantas ad Tolerantismum ecclesiasticum deducat et inde ad Scepticismum, hoc ponit principium (op. cit. t. I, *Rem. Prélim.* § III), quod, inter viam examinis et viam auctoritatis, non licet transire ab unâ ad alteram, sed quisque unâ quam semel elegit, semper unicè uti debet : — quod certè falsissimum est. Quemadmodum enim via examinis non longe nos ducere potest nisi in viam auctoritatis deflectat; ita nec via auctoritatis habet unde profisciscatur, nisi via examinis prioritate saltem logicâ aliquatenus præcesserit (cfr infra pp. 11); unde qui ab hæc omninò abstinere vellet, is non posset

partes plenè resumens, auctoritatem Ecclesiæ infallibilem è promissis Christi disertè adstruit.

III. — Dum autem hæc ita strenuè geruntur contra Protestantes omnis auctoritatis ecclesiasticæ impugnatores, bella magis domestica ad intrà continuabantur circa interiorem ejusdem auctoritatis constitutionem. Ambæ enim illæ erronearum opinionum series, quæ jamdudum, uti vidimus, eò tendebant ut Auctoritatem papalem subjicerent una quidem Regibus, altera autem Episcopis aut etiam Inferioribus omnis generis, adhuc continuabantur, diversâ licèt fortunâ. Hæc enim per Richerium nequiquam excitata (1), utpote principibus invisâ, nonnisi latenter transmittabatur. Illa, è contrâ, regibus ac parlamentis admodum grata, enitebatur ut ecclesiasticos viros sibi fautores faceret. Utrique autem fortiter obstitit apud nos, vir venerandæ memoriæ, **Andreas Duvallius**, D. S. (2), et non pauci cum eo (3). Postea autem, urgente Ludovico XIV, Clerus gallicanus victas dedit manus (V. infrâ, p. 372, in *Appendice IV*, ubi de *Declaratione anni 1682*). Hinc autem statim magna exarsit polemica, in quâ citare est, inter veritatis defensores, **Charlas** è Galliâ Romæ exsulantem, **d'Aguirre**, **Petitdidier**, etc. (4) Nec obliviscendus **Fénelon**, qui,

à scepticismo logicè exire. — Pellisson autem apertius adhuc in futurum systema Menesianum incidit, dum *auctoritatem maximi numeri* in ultimam omnis certitudinis rationem invocat (op. cit. c. XII; ap. Migne loco indic. p. 850).

(1) V. recens op. Dⁱ Puyol: *Edmond Richer...* cit. infrâ p. 371 et passim; et cfr etiam infrâ, p. 86, subterraneam, ut ita dicam, Richerii successorum seriem.

(2) Exstant hujus varii tractatus adversus Richer et ejus asseclam Sim. Vigor, inter quos eminet *de supremâ Romani Pontificis in Ecclesiam auctoritate*, quem recens edidit D. Puyol. (ap. Lethielleux 1877). — Richer etiam impugnatus est à Charlas, in op. infrâ indic., t. II, in fine; item à **Veith**: *Edm. Richerii systema confutatum*, 1783. — Similiter et M. Ant. de Dominis, Richerii compar, impugnatus est à **Coeffeteau**: *Pro sacrâ Monarchiâ Ecclesiæ adversus rempublicam M. Antonii de Dominis* (ap. Rocaberti, t. XVII); itemque à Mart. Becano, et pluribus aliis (ibid.).

(3) V. De Marca, etc., infrâ, p. 371. — Cfr D. Guéranger: *Mon. pontif.*, p. 12.

(4) Charlas: *Tr. de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* (quem Bossuet pluriès impetit in suâ *Defensione declarationis*); Card. d'Aguirre: *Defensio cathedræ Petri contra declarationem Illust. cleri gallicani* (1683):

utî jam diximus, dum conciliatorem se ferret, *Dissertationem de S. Pontificis auctoritate* scripserat eximiam (1) et nimis diu ignoramam.

Nec minor intereâ fervebat controversia circa vim et condiciones definitionum ipsius Ecclesiæ dispersæ; cujus nempe decisionem Jansenistæ tentabant eludere primùm per distinctiones, ac deinde per appellationes interminatas (cfr p. 145 not. 2). Contra quos multæ præsertim prodière *Instructiones pastorales*, inter quas rursus eminent illæ quas dedit noster Fénelon (2).

IV. — Jam profectò tempus erat ut materia de Ecclesiâ, tot ac tantis ad extrâ vel ad intrâ discussionibus elaborata, specialem tandem scholaribus in tractatibus obtineret locum. Diu quidem nihil aliud fuit quam explicatio fusior in art. 10, vel 9 et 10, q. I^o in 2^a 2^o S. Thomæ (3).

— Petitdidier: *De Auctoritate et infallibilitate SS. Pontificum* (ap. Migne *Theol.* t. IV).

(1) Unam reservationem infrâ (p. 165) facturi sumus, circa nimiam scilicet partem quam Fénelon concedit clero Urbis Romæ. — De publicatione hujus dissertationis per D. Emery et D. Gosselin V. *Hist. littér. de Fénelon* — Gallicè recentius translata est et publicata (Vivès, 1854).

Pleraque, ad illud usque tempus, circa Primatum et Auctoritatem S. Pontificis à variis auctoribus scripta collegit **Rocaberti**, archiep. Valentianæ, in suâ *Bibliothecâ maximâ Pontificiâ*, 20 vol. in fol., Romæ. (V. notitiam auctorum ap. *Analecta juris pontif.* 1867, p. 393). Rocaberti præterea scripsit ipse *Tr. de Rom. Pontificis auctoritate* (cfr infrâ, p. 148, not. 2), contra quem Bossuet concitare Ludovicum XIV vehementer nisus est (*Mémoire présenté au roi...*, post *Defens. Declar.*).

(2) *Instructions pastorales sur le cas de conscience, — sur le silence respectueux*, — etc. Cfr infrâ, p. 234.

Atque hic non obliviscendus, in sæc. XVIII^o, vir modestus et eruditus, **Corgne**, canon. Suession., qui, dum jansenisticos ausus tum in Papam, tum in episcopos, confutare historicè præsertim niteretur, animum ostendit planè catholicum, imò et dicam romanum, ita ut ipsis gallicanis tricis doctissimas non semel paraverit responsiones. Quarum plures in decursu citabimus, v. g.: *Dissertation sur la dispute entre le pape S. Etienne et S. Cyrien*; — *sur le Concile de Rimini*; — *sur le pape Libère*; — *sur le monothélisme et le VI^o Conc. gén.*; — *Mémoire histor. et dogmat. touchant les juges de la foi*; — *Défense des droits des évêques*; etc.

(3) Ita **Tanner**; **Bannez**, qui in hoc loco duplex dat *Commentarium*, unum brevius, alterum fusius; etc.